

apud priscos Romanos, non nisi publicè maioris honoris causa dabatur. Longo tempore, ait Plinius, ne Senatus quidem Romanus habuit aureos annulos, sed ijs tantùm qui Legati ad exteras gentes ituri essent, annuli dabantur publicè, vulgoq; sic triumphabant, vt in publico tantùm aureis, intra domos verò ferreis vterentur. Rationem honoris huius ab origine refert alicubi Alexander ab Alexandro, vir vndiquaque doctissimus dum ait, Veteres primò signandi tantùm causa gestasse annulum, vnde nulli, nisi qui in re magna aut existimatione magna forent, id jus datum, vt Præfectis Centurionib. Decurionibus, Tribunis. &c. vtpote, qui fide præstare crederentur, quæ signaculo continebatur.

Deniq; librum etiam apertum trado, quo ceremoniæ genere, omnes, omnium disciplinarum cultores, cum primis verò Jureconsulti monentur, in omni consultatione negotiòve Libros sibi apertos ante oculos perpetuò versari revolviq; debere, neq; vnquam suo solùm Ingenio tutum esse confidere. Nam Saluio Juliano, summo Jureconsulto, edicti perpetui compositor, credendum est, qui sibi putauit discendum adhuc esse, licet alterum pedem in sepulchro haberet: neque vllus omnium ætatum fuit magnus Jureconsultus, qui suo iudicio contentus, aliorum libros sperneret: Neque fidelior est alius consultor, nec certior, quàm libri: carens adulatione, carens formidine: nihil dat auribus legentis, nihil in eius gratiam dissimulat, nec erubescit, si lectori non placeat, nec mutat sententiam, ideo quod offendat clientem. Sic Vlpianos, Paulos, Papinianos, Scæuolas nostros, sæpius ferè Proculi, Sabini Trebatij, Ofilij &c. opiniones, quàm su-